

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Philosophie moralis s. ethica - Ettenheim-Münste 104

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput Quintum

[urn:nbn:de:bsz:31-110979](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110979)

96. instituta est; ita nihil à legibus derivari oportet, quòd Civibus utile non sit, quoniam eorum causà sunt comparata.

97. Jam materia Legibus subiecta est Jus ipsum, seu id, quòd justum est, vel quòd justè agitur vel omittitur; quòdque adeò in omnibus nostris actibus lectari nos oportet. Inamquam Jus etiam pro ipsà arte aut Scientià Juris sumitur, eoque sensu definitur à Celsò, Arts boni et aequi.

Inocivè Jus pro materià legi subiectà usurpatum eodem modo dividitur ac Lex ipsa: nempe aliud est Jus naturale, quòd scilicet natura nos docuit, quòdque est immutabile: aliud est Jus gentium, quòd non male forsàn Jus naturale secundarium dici potest, quòdque apud omnes, saltem moratiores, populos custoditur: aliud est positivum, idque vel divinum, vel humanum; hocque rursum vel est Ecclesiasticum, vel Civile. p. p. Verùm de his speibili de Legibus Tractatu in Theologia fusiùs: hæc prælibaminis locò dicta sufficiant.

98. Caput Quintum.

De variis hominum officiis et muneribus, seu obligationibus.

Obligationis nomine hic aliud non intelligimus, quàm quòdam Juris vinculum, quo ad aliquid faciendum vel omittendum adstringimur: per illam enim liberum arbitrium nostrum quòdammodo coartatur, et quamvis nos liberos esse ultro noscimus, possumusque rei propositæ contrarium appetere, inhaeret tamen per obligationem Menti nostræ vis quòdam coactiva, quæ versus idem tendere non sinit, et quæ admonet, nos postmodum poenitentia tactos iri, nisi secundum prescriptam

legem operemur.

54.

Actus igitur, quem, pro obligationis ratione, juxta Legum praescripta attemperare tenemur, in tres partes praecipuas, secundum objecta, quae respicit, distribui potest, quarum prima ostendit, quo pacto solo natura ductu erga Deum gerere nos oporteat: altera, quomodo erga nosipfos: postrema, erga alios homines. Quippe tribus his officiis tota hominis obligatio absolvitur, et quidquid ad ipsum spectat, percipere dicitur, si pius erga Deum, erga se ipsum providus, et erga proximum aequus fuerit. De singulis his tribus officiis distinctis §. aliqua delibabimus, fusius de iis in Theologia ubi de Virtute Charitatis, p. agemus, acturi.

§. Primum.

97.

De hominis erga Deum munere.

Leges, quibus erga Deum homo adstringitur, ad duas partes reduci possunt. 1^o ut de Deo bene sentiat, veramque naturam et perfectiorem illius ideam sibi efformet. 2^o ut voluntatem suam ejus voluntati conformet, piaculumque arbitretur, tantidum ab ejus beneplacito aberrare.

Primum, quod de Deo sentiendum occurrit, 98. est, quod actu existat, atque ceterarum rerum sit principium et causa. Quippe id universi amplitudo et varietas, id partium ejus pulchritudo et harmonia demonstrant; cum illa omnia tam constantiter persistere nequirent, nisi mundus à sapientissimo moderatore regeretur, et lege immutabili perseveraret. Hoc solo mundi intuitu Veteres Philosophi in Dei cognitionem venerunt, existimantes, tam insigne opus non nisi à potentissimo Numine derivari potuisse.

Quod si forte hae nostrae aetate nonnulli aliter sentire videntur, ideorum imperitia est tribuendum; et si confusa rerum perceptio ad Atheismum propendet, ho-

minemque ad ambigendum de Divinitate induit; perspicua tamen rerum notitia, et attenta consideratio hominis, mentem erigit, et ad Dei venerationem non excitat modo, sed etiamnum impellit: Solius insipientis est dicere in corde suo, Non est Deus. Totum enim genus humanum in perpetua hujus veritatis possessione fuit, cum umbra gens, ut cum Cicero loquamur, tam immanueta, tamque ferrea fuerit, qua licet ignoraret, qualem Deum haberi deceat, tamen aliquem habendum esse non agnosceret. Unde Justinianus, 2. ff. de Just. et Jur. Religionem erga Deum inter leges naturae, Jurisque gentium refert; quia omnis natio in generali idius cultu Societatis humanae communisque principii velut attractione conuolat, illaque conuoluitur.

99. Secundum est, Deum mundi hujus opificem esse, nihilque in eo reperiri, quod a Deo productum non sit. Nam cum haec fabrica sui causa esse non potuerit, qua molitio, qua feramenta, qui vites, qua machina, qui ministri tanti operis praeter Deum esse potuerunt?

Hinc apparet, quam ridiculi sint Epicuroi, qui existimant, nulla divina ratione, sed ex atomis Iuxta se conuoluta esse tot miracula. Nam qui potuere volitantes atomi illa per immensa spatia ita conuenire et adaptari, ut animalia v.g. et hominem componerent, cum videamus ea non nisi seminis interuentu oriri? Quanam causa illas sic disponeret, ut hoc corpus potius quam aliud efficerent? Quos pacto ita ordinari potuerunt, ut ossa, carnes, medullam, venas, nervos, arterias, humores, tendines, componerent? Speciale igitur principium agnoscendum est, cujus vi mundi machina fabricata est, et ejus partes ordine digesta.

100. Tertium quod de Deo sentiendum occurrit, est, quod rector sit universi, illudque gubernet, ac tueatur. Id enim partium ordo, ad-

mirabilisque earum coniunctio testantur, quae tandem stare non possent, nisi à superna quâdam causâ in eodem statu servarentur. Invidie enim experimur, quod, quidquid ex rebus diversis, variosque impetus habentibus, textum est, moderatorem erigat, et facile in confusionem delabatur, nisi ab externò agente temperetur, et ejus partes in officiis contineantur. Hinc Brissii censurâ, Deum in mundo se habere, veluti in curru aurigam, in choro parentorem, in navi gubernatorem, in adibus patrem-familias, in regno Brincipem, in exercitu Imperatorem. Ac proinde qui negat, Deum huic mundo prospicere, et ejus ductu omnia peragi, non minus in ejus majestatem delinquit, ac si Deum existere negaret, et inter humanae mentis figmenta abigeret.

Considerandum quoque, Deum non mundum sicutaxat moderari, sed et in humanum genus speciale regimen exercere, et omnium actionum, quae à liberò hominum arbitrio pendent, immutabilem esse causam. Nam cum demonstrari non possit, quod existat, nisi consideretur tanquam Ens Summe perfectum, non esset Ens Summe perfectum, si quid in mundo fieri posset, quod ab illo neutiquam proveniret: ac proinde sola naturali Philosophiâ colligere licet, non posse animum humanum vel minimam cogitationem subire, quin velit Deus, et ab aeternò voluerit, ut eam subiret.

Quartum, ut existimemus, Deum omnium perfectionum genere completum esse, ac ei nullum competere attributum, quod aliquem defectum insinuet. Nam cum sit infinitus, necessarium est,

ut omnes perfectiones, quae ab humana mente conijci possunt, includat, ac proinde agnoscendum est, illum optimum esse, Summe sapientem, aeternum, omnipotentem, immensum, et ita perfectum, ut nihil ei addi, aut detrahi sit possibile.

Verum, cum Dei perfectiones ab intellectu humano comprehendi nequeant, et earum qualibet infinitis modis captum nostrum excedat, non tam terminis seu nominibus positivis, quam negativis, ad illas exprimendas utimur, ut potè quae nomina negativa ejus qualitatem magnificentius aperiant, majoremque in nobis venerationem pariant: auditò enim, quòd Deus unus sit, immensus, incorporeus, immortalis, infinitus, incomprehensibilis, &c. veluti omnium perfectionum pelagum ingredimur, atque fateri cogimur, talis essentiae magnitudinem à mente nostrà attingi nullatenus posse.

Quare ab eo removendum est, quidquid limitationem aut defectum aliquem involvit, et omnes illi affectus ab eo exulandi, qui boni alicujus egestatem, aut absentiam indicant, vel supponunt. Quod si nonnullae passiones Deo interdum tribuantur, et Scriptura ejus ergà bonos favorem ac munificentiam praedicet, ac manifestet; adversus improbos vero ultionem ac malefactorum vindictam; id eà ratione ab eà fit, quòd se ad humanae mentis captum accommodet, acitis verbis, ac petita similitudine ex rerum naturà. Simili loquendi formulà Iram, Zelum, Indignationem Deo assignant Sacri Codices, sermone ad nostram imbecillitatem accommo-

Dato, coque tropo non tam affectum, quam ^{61.}
effectum denotant. Verum de his vide ad-
huc plura part. 2. Metaphysices nostrae c. 1.
§§. 1. 2. et seq. atque fusius agemus in Theo-
logia in Trait. de Deo p.

Non sufficit, quod Deum cognoscimus, sed ^{102.}
praeterea necessum est, ut cognitum veneremur,
atque debito cultu tam interno, quam
externo prosequamur.

Internus est ille, qui in nostro est ani-
mo, et quo Deo honorem exhibemus intuitu
ipsius potentiae cum bonitate conjunctae.
Nam veneratio, ut alibi jam dictum, est
anime propensio, qua fertur non solum
ad Deum, quem colit, existimandum, sed
etiam ad se ipsi subjiendum cum quodam
timore, illius favoris sibi conciliandi gra-
tia. Unde illam nemo magis veneratur,
puriorique cultu prosequitur, quam qui
vita innocentia ei similis fieri conatur,
optatque milles potius mori, imo in ni-
hilum redigi, quam sanctissimam Dei ima-
ginem, quam in se ipso agnovit, pati ali-
quo scelere pollui, aut vitio etiam minimo
foedari. Ex tanta majestatis conside-
ratione sequitur, quod Deum tanquam
auctorem nostrum cupere debeamus; tan-
quam Patrem diligere, et invocare; ut
Regem venerari; et ut Dominum timere,
et ejus iussis obsequi.

Non solum internus, sed et externus cultus
Deo est exhibendus: quod fit, dum totius
beneficiorum memores, ei gratias referi-
mus, ac idem ut beneficium Patrem, et
Deum nostrum agnosimus, atque seu-
mente, seu oculis in coelum erectis poten-
tiam ejus admiramur, nomenque sanc-
tissimum celebramus. Item dum in-
firmitatis nostrae conscii, preces ad eum

Prima J.J.J.

413

102.
fundimus, opem ejus imploramus, obtestamur-
que, ut imbecillitatem nostram adjuvet, et
quae proficua nobis noverit, largiatur, noxia
vero avertat. Dum ejus voluntati morem
gerimus, amplectimurque, quidquid nobis au-
derit velut à tota jam aeternitate decretum.

Non etiam sufficit vota Deo in consien-
tia penetralibus dumtaxat offerre, sed requi-
ritur etiam, ut palam et publicis in locis
eum colamus, ac veneremur. Quis enim
Deum credit, et illum precari, laudare, ei-
que victimas offerre erubescit? Degeneres
animos timor arguit, et is Deum non vere
colere censendus est, qui debitum ei honorem
persolvere veretur, et aperte pro palare, quod
in cordis intimis agnoscit, et adorat. Et
contra ubi in Templis, ubi in locis publicis
Deo cultum palam exhibemus, nostramque
erga eum devotionem testamur, p. tum
praesentes imitamur, nostramque exemplo
admiramus ad similem ei exhibendum hono-
rem.

103.

S. Secundus.

De hominis officiis erga se ipsum.

Cum homo maxime se ipsum diligat, at-
que veluti centrum consideret, unde proce-
dit, et in quod refluit omnis operatio: su-
perfluum videri posset, ut ei leges praes-
cribantur, quibus sui curam habeat, et
sibi consulat, propriamque utilitates pro-
curat. Sed cum homo non sibi soli sit fac-
tus, sed pro bono Societatis humanae à Deo
conditus sit, ita se gerere tenetur, ut So-
cietatis humanae amplius corporis aptum sit
membrum, et quantum fert conditio,
ei utilitatis aliquid afferat. Nemo
enim hanc lege solvitur, et licet obtusus,
rerumque gerendarum rudis quis sit, ta-
men poena fit obnoxius, nisi, quantum

linunt vires, communitati prosit, et ei aliquā 63.
arte auxilietur.

Unicuique igitur incumbit, ut animum vir- 104.
tute, probis moribus, et recto sensu imbuat; si-
cut enim animus dignitate corpus antecedit, et
toti homini imperat, ita eius cultura omnino
incumbendum, ut eius ductui corpus obtem-
peret, et suos motus secundum rationis regulas
peragat et exequatur. Unde quisque pro for-
tuna modo, et naturae donis, Scientia, vel ar-
ti cuiusdam operam dare tenetur, atque eum
vita statum eligere, ut non postmodum sibi
gravis, aliis molestus, et Societati, in qua
degit onerosus evadat.

Quemadmodum animus disciplinis insti- 105.
tuendus est, ita etiam corpus in officio con-
tinendum, ne insolenscat, et in sui Lectorem,
nempe animum, insurgat, eique domine-
tur. Hinc necessarius duntaxat, et non
superfluis, alimentis est nutriendum, la-
boribus exercendum, ne ciborum aut potus
intemperantia in foedam libidinem pro-
ruat, et pro nimio otio torpens inutile
sit animi domicilium. Cumque pas-
siones ex malefida anima et corporis
conjunctione pululent, vimque ex illa
iniqua Societate mutuuntur, opera est ad-
hibenda, ut quis illas moderetur, et earum
impulsibus tempestive occurrat. Affectus
enim invadentibus virilitibus sunt simi-
les, qui, nisi arceantur, Domini fiunt,
et quos comprehendere, videntur.

§. Tertius. 106.

De officiis erga alios homines, servan-
dis.

Hominiis officium erga alios in duobus
potissimum consistit. 1^o Ut aequalita-
tem servet, nullique se praeferat. 2^o
ne quemquam laedat, et ab inferenda alii
injuria abstineat.

Hominiis, utpote ratione praediti, in-

quit Justinianus, S. Just. De Just. et Jur., ut honestè vivat, prociquè interest, alterum non laedere, jus suum cuique tribuere. Jus autem cuique tribuit, dum unum se antepont, et humana conditionis memor, omnes aequali amore, ceteris paribus, complectitur. Nam licet quis alios virtute, animi dotibus, corporisque viribus, necnon fortuna bonis superet, non minus tamen ad exequenda legis naturæ præcepta adstringitur, nec illi jus aliquod ad alios injuriis afficiendos conceditur. Nam sicuti benigna est in omnes natura, verique ac recti affectum aequaliter dispensat, ita par inter homines esse debet charitas, et communia pietatis officia. Nihil enim magis ad vitam socialem tuendam confert, quam dum homines in alios decommunt, quod in se ipsos statui velent, et ab aliis non exigunt, aut expectant, quod à se ipsis requiri non optant.

Ad hanc aequalitatem exercendam condinet originis et naturæ nostræ conditio: quod nimirum omnes ex limo terra limus formati, pari ratione in lucem editi, eisdem alimentis nutriti, decurrentibus annis ad senectam perveniamus, et æqua nobis cum ceteris maneat moriendi necessitas.

107. Supposita hæc inter homines aequalitate, sequitur, ut, si aliorum operam exposuerimus, atque, ut nostris adsint negotiis, optamus, nostram eis vicissim operam commodemus, et studium nostrum ad illorum commoda conferamus. Is enim iniquus haberetur, qui alterius operam in propriam utilitatem uteretur, et eam sibi deberi cogitaret, nihil tamen in alterius commodum rependeret. Unde sicut in tuenda societate maximè con-

Solent, qui non plus sibi, quam aliis permittunt; Sic ejusdem perversor habendus est, qui Brimipatum ambit, sibi que pro aliis aut honorem, aut obsequia gratis adhiberi expectat, et tamen paria refertur indignatur.

Alterum hominis in alios exercendum officium est, ut nemini noceat, seu ut nullum damnum alicui inferat. In enim natura est, ut nemo cum alterius damno fiat completior, l. 206. ff. de regul. Jur.

Hujus precepti aequitas ex hominis consideratione desumitur, quatenus singularis, et quatenus civis et rei publicae membrum est. Nam sicut calori repugnat, ut frigidifaiat, et humiditati, ut siccum redat; sic ab homine justo alienum est, aequalem offendere, et damno vel injuria laesere. Ad civem etiam spectat, ut alterum non laedat: natura enim quandam cognationem inter homines constituit, ac proinde sequitur, nefas esse homini invidiari, et quae sunt alterius, invadere; alioquin generis humani communio solveretur, quemadmodum corporis integritas perit, ubi pars validior ceterarum substantiam attrahit, et totum alimentum sibi vindicat.

Huc referri etiam possunt ea, quae jam part. 2. Logices nostrae c. i. per totum disseruimus. Et haec de Morali, atque etiamnum universa Philosophia dicta sunt.

Givis.